TENTAMEN MEDICUM


INAUGURALE

DE

ICTERO.

PATRICIO MACNAUGHTON, Auctore.

HUJUS dissertationis materia, per multa secula multisque medicis, sub nominibus diversis, cognita est. Græci, Patrem omnis medicinæ HIPPOCRATEM secuti, sub nomine ἴκτερου, vel Icteri, propter similitudinem inter colorem ejus quem cuti impertit, et alas aviculæ sic denominatæ, hunc morbum descripserunt. Alii potius derivant a vocula ἰκτὶς, qui mustelam significat:



[1825]

quippe quod color oculorum ictericis hujus bestiolæ simulet colorem. Apud Latinos *morbus arquatus*, et *morbus regius* a CELSO dicitur; quorum nominum prius ad colores iridis attinere putatur; et idem auctor posterius inde impositum scripsit, quod æger, ut rex, omnibus deliciis concessis, haberetur. Infinitum esset omnium nominum apud auctores originem vestigare: satis est adjecisse, icterum *auriginem*, aliquando, ob aureum cutis colorem, vocari: sed ea hodie appellatio pene apud solos medicos est.

Doctissimus CULLENUS in classe Cachexiarum, et ordine Impetiginum, icterum collocavit, hisque verbis definivit:

" Flavedo cutis et oculorum, fæces albidæ, urina obscure rubra, immissa calore luteo tingens."

Sub hoc genere, quinque species descripsit; nimirum, Icterum calculosum, Icterum spasmodicum, Icterum hepaticum, Icterum gravidarum, Icterum infantum.

DE MORBI HISTORIA.

EVIDENS est morbum, omnibus regionibus orbis terrarum contingentem, neque sexui, neque ætati parcentem, totque diversissimas causas agnoscentem, signa haud mediocriter diversa præbiturum esse. Consilium igitur est, generalem tantum signorum ejus descriptionem tradere: quæ enim unicuique speciei icteri propria sunt, in definitionibus CULLENI nosologicis optime definita extant.

Cum languore, anxietate, lassitudine ; cum sensu oppressionis distentionisque circa præcordia, icterus accedit. Dolor plus minusve gravis in dextro hypochondrio, pressu, ciboque ingesto exacerbatus, sentitur. Progredienti morbo, tunica conjunctiva oculorum et ungues digitorum flavescunt. Brevi atque tempore deinceps totum corpus colore eodem tingitur. Sapor amarus, quem nausea et vomitus sæpe sequuntur, in ore percipitur. Alvus semper abnormis; adstricta, vel su-

pra modum fusa: colore semper argillaceo, sed fœtore consueto carens. Urina saturrime colorata, sedimentum copiosum, linteum tingens, demittit. Cutis sicca est, intolerabiliter pruriens. Lingua sicca sordibus obducta, sitis magna, saliva flava est. Pulsus arteriarum variat variis ægris. Nonnullis robustus et lentus est, per totum morbi progressum, aliis, contra, rapidus et acutus.

Aliquando morbus subito accedit, et æger de doloribus epigastrii acutis, lancinantibus, pressu auctis, conqueritur. Talibus sæpe levamini est, corpus antrorsum inclinare. Dolor constans sed obscurus in dextro hypochondrio, ad thoracem et summum humerum extendens, pessimam mali formam indicat. In hac, tumor sæpe observatur in hypochondrio dextro, sedi hepatis respondens. Olim opinio erat, homines ictero laborantes omnes res ob oculos flavas videre. Quod aliquando hoc contigerit, minime dubium existimo; sed pauci ex medicis hodiernis perpetuum vel etiam frequens hoc signum existimant. Doctissimus Jacobus Gregory, olim hac in Academia Professor, unum ictericum omnia flavescere vi-

dentem, curavit. HOFFMANNUS duo istiusmodi exempla vidit, et SYDENHAMUS indicium Icterici perpetuum esse credidit. Sed experientia quotidiana docet hunc, utcunque perspicacem, decipi: ac ne simul quidem memoratur ab AVICENNA, CELSO, CŒLIO AURELIANO, ÆTIO.

DE CAUSIS.

POST signa, causæ se investigantibus offerunt. Has, igitur, more medicorum solenni, in Prædisponentes et Excitantes dividemus.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

HUJUS ac aliorum multorum morborum causæ prædisponentes, haud paucæ ambiguæ videntur. Aliæ tamen adeo manifestæ sunt, ut fallere nequeant. Hujusmodi longa in regionibus calidis locisve commoratio, exemplum manifestum

præbet. Ibi hepatis morbi frequentissimi, adeoque icterus, alius et gravioris mali sæpe merum signum, occurrunt. Crebrior potus ardentis usus, iisdem quidem regionibus icterum quoque frequentiorem reddat; sed ipse, etiam frigidissimis locis causa prædisponens notissima existit. Sic Caledonii nostri, alcohole cereali suo, vel alio etiam peregrino abutentes, longe sæpius quam temperati ejusdem regionis borealis, morbis hepatis icteroque conflictantur. Sedentarii, quibusve, ex vitæ genere, aut quæstu, multum procumbendum sit, sæpe affici consuerunt. Studium ingens diuturnum huic morbo gignendo conferre arbitrentur: quod tamen magis, ab exercitatione necessario neglecta, et positu corporis male salubri, quam ab animi attentione nimia, suboriri videtur. Infantis paucis post natalem diebus, icterus familiaris est.

Quod ad sexum attinet, fœminæ quam mares procliviores esse putantur, sed hoc valde dubium apparet. "Ex *centum* ictericis continuatis, (testatur illustris Heberden), quinquaginta et duo mares, quadraginta et octo fœminæ erant*." A-

* Commentar. p. 247.

dolescentes quoque quam infantes, adulti quam provectiores, ad icterum minus proclives sunt: itidem sanguinei quam melancholici. Angustiæ sive loci sive exercitationis, animus demissus, causæ prædisponentes habentur: nec aliam propter causam armenta hybernis detenta magnam vim calculorum biliosorum dejicere solent, cum vere liberantur. Clarissimus HALLER quoque idem notavit de hominibus, carceribus diu detentis. Aliæ adhuc causæ prædisponentes apud auctores obveniunt, sed quas posuimus certiores apparent.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

QUODLIBET bilis in duodenum descensum impediens, causa icteri excitans evadit. Notitia utcunque tenuis anatomiæ partium bili transmittendæ subservientium, facillime demonstrabit quam ad obstructionem proclives, quamque multis modis hæ partes immeabiles reddi possint. Quin si numerum morborum his contingentium solum

contemplemur, mirandum potius erit icterum tam raro occurrere. Ex multis tamen causis excitantibus, calculi biliosi ductibus impacti frequentissime sunt. Illi, ut creditur, nucleum sibi formant, nec qua tamen ratione constat; atque in vesicula fellis plerumque, vel ductu choledocho communi, nidulari videntur. Nucleo vero constituto, nullus datur incrementi limes, nisi ipsius vesicæ capacitas. Sed maxime calculi in vesica reperti sunt, nec tamen ullo ictero secuto. Quinetiam ipse nuper cadaver incideram, cui vesicula fellis hisce concretionibus turgidissima fuit; neque tamen diligentius inquirens, virum aut ictero unquam laborasse, aut quid incommodi a calculis suis percepisse, inveni. Quamprimum tamen calculus in ductus descendit, viasque dilatare cœpit, dolor haud mediocris percipitur, et icterus adest. Quum concretio ad canalis os, seu partem duodenum ineuntem; dolor plerumque excrucians fit. "It is remarkable (ait HEBERDEN), what a degree of dilatation these passages are capable of. In the natural state, they are not larger than a common goose-quill, and yet a force may be exerted which will distend this narrow passage so as to let a

stone pass, the smallest circumference of which is two inches *."

Præter calculos, qui viam bili præpediunt, aliæ causæ quoque dantur, quamvis minus frequentes, tamen nullo modo minus periculosæ. Inter has recenseamus bilem ipsam inspissatam: stercora duriora colo accumulata, ductumque choledocum prementia: viscerum vicinorum, ut ventriculi, pylori, pancreatis, glandularum mesentericarum tumores: hepatis morbi, induratio, hydatides in vesicula fellis, in ductibus: acria in ventriculo aut intestinis, venena: meconium in alvo infantili retentum: uteri gravidi fœminis pressus. Alia causa quæ nonunquam, licet raro, icterum excitat, ductuum biliferorum obliteratio est. Quin duodeni inflammatio, partem inferiorem ductus choledochi communis comprehendens, laterumque adhæsionem efficiens, icterum gignit. Quum ductus cysticus tantum obliteratur, nullus icterus fortasse excitetur, quam notionem celeberrimi Monro, experimenta, hic memoranda, con-

* Commentar. p. 244.

firmare videntur *. Porci ductum cysticum ligavit, nec ulla icteri signa subsecuta sunt. Ductu tamen hepatico simili modo ligato hic apparuit, atque ipse ductus tumidior dilatatiorque evasit. Si ex analogia, vel rebus inter se comparatis ratiocinandum sit, tandem ad hanc conclusionem perveniemus, hæc experimenta vesicam secundi tantum momenti in corpore animali esse; nec in corpore etiam humano, nisi hepati auxilio esse. Imo homines inventi sunt, sine vel minimo hujus vestigio, et totæ classes animalium ea omnino vacant.

Nonnunquam in intestinis membrana, ei quem *Trachitis* præstare consuevit, similis invenitur; quæ motum bilis impediens icterum constituit. Quomodo autem hæc membrana formatur; vel quam sæpe icteri causa evadat, nondum constat. Doctissimus POWELL, solus hujus membranæ mihi auctor, nihil finit †.

Etiamsi hæ *præcipuæ* excitantes icteri causæ

---

* Vide MONRO on the Structure and Physiology of Fishes, Edin. 1785.

† Lond. Med. Trans. vol. iv. p. 106.

existant, aliæ, et memoratu necessariæ, restant. Sic spasmus ductuum, maxime dum calculus descendit, sæpe adest: necne vero is per se icterum unquam efficiat, multis dubium. Fateor tamen, spasmum non minus facile bilem, quam urinam sistere posse mihi videri. Ira, aliique animi affectus, icterum excitant: neque minus capitis læsiones quales hepar afficere, sollenne; hernia ductus ipsos statim premens, etiam recensita sunt.

DE CAUSA PROXIMA.

Quod ad causam icteri proximam attinet, una tantum hodie opinio medicorum est. Veteres autem bilem prius in sanguine existere, quam ad hepar perveniret, putaverunt: hujusque visceris solum munus eam de illo separare. Pari ratione, icterum fieri, bile in sanguine detenta. Omnes tamen physiologi hodierni consentiunt, causam hujus morbi proximam esse misturam sanguinis cum bile jam pridem secreta. Quamvis enim inter omnes de hac re satis conveniat, adhuc tamen de modo quo bilis viam sibi in sanguinem

remeare valeat, insignis restat diversitas. Nonnulli credunt bilem retro per venas in sanguinem remeare, alii per vasa absorbentia. Alii neque hac, neque illa opinione contenti, partem absorberi, partem regurgitare censent. Inter tot tamque diversas sententias, indoctus ægre distinguit quæ vera sit. Illud utique certum est, bilis, jam secretæ, diffusionem per corpus, causam icteri proximam esse. Sive hæc absorptione, aliove fiat modo, ad veram curandi rationem parum refert.

DE CADAVERIS INSPECTIONE.

In omnibus fere morbis, fellis vesicula, ductus; duodenum; pylorus, tunica hepatis peritonea, pars mesenterii, bile tingi observantur. Sed ictericorum cadavere aperto, non tantum istæ partes saturrime flavent, sed tendines quoque, ligamenta, cartilagines, ipsa etiam ossa ad centrum usque. Vesicula fellis sæpe multos exiguos continet calculos: sæpe magnam unam concretionem. Haud raro ductus hepaticus, et ductus choledochus communis ad incredibilem molem dilatantur, in-

gentibus calculis descendentibus. Tunicæ vesicæ externæ inflammatio rara est; sed cum hæc adoritur, membranam hepatis externam, naturaliter ad tunicam vesicæ externam proserpit; scilicet, in ipsius continuationem. Exinde vero adhæsio facta, vesicam aut initio duodeni, aut ventriculi pyloro connectit. Vesicula fellis aliquando ad molem duplicem augetur. Hydatides plurimas subinde continet. Vesiculæ fellis exulceratio rara est; nonnunquam ex inflammatione tunicæ internæ visa. Tunicæ aliquando in unum concreverunt, ductus biliosi obliterati. Alia sæpe in conspectum veniunt, ut tumores hepatis, pancreatis, splenis, glandularum lymphaticarum, pylori. Neque omitti decet, nonnullos indicium morbi, qui icterum facere potuisset, nullum scrutinio accuratissimo præbere. In talibus spasmum icterum fecisse haud absurda conclusio est.

DE PROGNOSI.

Prognosis in hoc ut in aliis morbis, e signis et causis excitantibus solis ducenda est. Quo

rem ergo accuratius recognoscamus, loca olim proposita, revisenda erunt.

Icterus, causam non permanentem, vel facile amovendam agnoscens, faustam præbet prognosin. Sic infantibus, gravidis, facile tollitur, nisi quidem aliena subsit icteri causa.

Calculorum icterus bonam præstat prognosin, sed quo tempore abiturus sit, valde incertum. Sed in ægro intemperato, diu afflicto, cum pulsu celeri aliisque febris signis, etiamsi æger adhuc juvenis, sine periculo tamen non est: licet minore quam vetulis imminere inde solet.

Nec calculus ejectus morbi finiti signum habendus; sæpe alius tantum prænuncius est. Causa quoque prædisponens nondum forte sublata, novum, ex levi causa suscepta, generet: aut secundum e vesica depellat. Necne hic adsit, e calculo ejecto judicandum, si asper, angularis, aut lævis, complanatus, plures in vesica relictos suspicari licet. Tales enim formas concretiones fricando obtinere solum possunt. Si vero concretio rotunda sit aut ovalis, magna mole, sola fortasse habeatur.

Icterus a fæcibus induratis coli fere tutus. A

hepate, splene, pancreate, aliisque visceribus vitiatis, prognosis pessima est ; si ante mortem morbus distingui potuerit. Signa maxime infausta sunt dolor et tumor diuturnus non medicamentis levati, ingens carnium macies, virium prostratio ; pulsus hecticus, spiritus difficilis : calor cutis et oculorum intensior factus : vultus dejectus ; diarrhœa colliquativa, sanguinis ad caput impetus, vertigo. Si hydrops supervenit, nulla fere spes est.

In hoc deplorando morbi gradu cutis fere nigra evasit, membra tumefacta sunt, et mors in propinquo odore totius corporis cadaveroso proditur.

DE DIAGNOSI.

Post explorationem historiæ causarumque icteri assiduam, vix possibile erit cum alio confundere. Chlorosis tamen, atque morbus cœruleus confundi : etiam icterus hepaticus cum ictero idiopathica misceri possent.

In Chlorosi autem nec oculi nec urina tinguntur : alvus naturalis est.

Morbus cœruleus ex intervallo, cum cordis motibus tantum connexo, accedit: cœruleus aut purpureus est, non flavus. Conjunctivæ oculi albidæ, secretiones immutatæ manent.

Icterus hepaticus a signis hepatitidi propriis: quæ si non detegi possunt, morbus quoque ad mortem usque pro idiopathico omnibus imponit.

DE ICTERI CURATIONE.

Concretiones biliosæ, causæ icteri excitantes longe primæ et frequentissimæ, principem quoque in curatione locum merentur. Dolor et spasmus quos faciunt levandi sunt remedia calculo expellendo idonea, adhibendo. Primo consilio præcipue accommodantur opii formulæ, quas experientia non tantum dolorem ac irritationem, sed spasmum quoque compescere, quotidie docet. In pleno corpore, cum dolore acuto, pulsu celeri, super opio sanguis quoque detrahi debet, pro ægri ætate, pulsus conditione, doloris acerbitate.

Ut fibræ ductuum laxentur, concretio facilius

descendat, *balneum calidum* adhiberi, et ad animi deliquium continuari debet. Lecto repositus opiatum æger haurire debet, ex intervallisque idoneis, prout opus visum sit repetitum. Inter paroxysmum vomitus sæpe occurrit, atque liquidis sumptis, cietur. Quam ob rem opiata, in forma solida præscribi debent, vel si liquida, saltem grato quodam aromatico conjuncta. *Gutta nigra Lancastrensis,* vel liquor sedativus BATTLEI, vel MORPHIA ipsa solida, huic usui bene accommodata sunt. Quibus nulla opii ventriculo retinetur formula, enema opiatum, vel decocta papaveris capita ventriculo superimposita, multum juvabunt.

Vomitus siquando spontaneus, nec tamen gravis accesserit; necne foveri debeat apud medicos quæritur *. HEBERDENUS putat vomitorium urgente dolore exhibitum, vomitum potius compescere quam intendere: denique adsit, absitve vomitus, vomitorium semper bene propinari. Vulgaribus autem exemplis, quibus nullum inflammationis periculum est, nulla febris signa, hoc ni-

* Commentar. p. 255.

hil fortasse noceret. Sed ubi dolor intensus, pulsus celer, melius omissum erit, utpote quod universa corporis concussione, descensuque diaphragmatis violento, partium affectarum, maximeque ductuum, lacerationem periclitatur. Quin historiæ memoriæ traditæ sunt, quibus concretiones biliosæ, vesica fellis inflammata, et ductibus ruptis, ipsæ extrorsum prominerent. Tales vero rarissimæ sunt, nec curationem periculosam quidquam tueri debent. Ubi emetica tunc admitti possunt, ipecacuanha, et antimonii tartras optima sunt. At antimonium præferatur, scilicet, musculos magis relaxat, ventriculum plerumque accuratius deplet. Potionibus divisis ad nauseæ nonnihil movendum initio detur, sed postea ut effectum proprium præstet. Si vero nausea diu urserit, vomitorium satis cieverit, opiatum superaddi oportet.

Purgantia multum in ictero usurpata sunt; ut perinde ac vomitoria ductus biliferos excutiant, constipationem arceant. Quidam vero medici ad posterius tantum propositum utilia existimant. Cullenus nisi alvo lentiori nunquam profutura censet. Alii, nec incelebres medici, vehementer

collaudant. Hic, cum poëta, "medio tutissimus ibis;" extremis utrisque, ut perniciosis, evitatis. Purgantia drastica, sub initio data, diuque protracta, fortasse noceant; nec absurdum erit ea anteferre, quæ facillime agunt, atque diutissime repeti possunt. Quum alvum laxare solum consilium est, sulphas magnesiæ, oleum ricini, infusum sennæ, supertartras potassæ, sal medius quivis, indifferenter adhibeantur. Quando vero diarrhœa spontanea adest, nullo alio opus erit auxilio: debilitatem cavere sat habeatur.

Propositis deinceps periculo subjectis vehementiora quoque postea adhiberi possunt, uti submurias hydrargyri, pulvis jalapæ, pilulæ aloëticæ: si duodenum stimulandum sit, submurias hydrargyri cum scammonia conjunctus; hic enim vias biliferas potenter stimulare, ideoque chalogogûm princeps existimatur.

Lenis exercitatio ex equo, calculorum descensum vehementer promovet. Sin vero dolor impense acutus equitationem fecerit intolerabilem, ad navigationem recurrendum; quod optimum atque vulgare remedium auctoribus de ictero sileri admiror.

Calculi sæpe, omnibus auxiliis frustra exhibitis, immoti resistunt: ut medici, recte quidem, sed eventu minus fausto, in nido solvere conati sint. Sapo, sales alcalini, aqua calcis, æther sulphuricus, alcohol, oleum terebinthinæ, præcipue hac vi prædita esse putantur. Ex his alia utique calculos biliosos *extra corpus* dissolvunt; alia ne minimum quidem. Saponis, exemplum narrat HEBERDENUS *, uncia quotidie per septennium devorata est; post mortem, nihilominus plurimi in vesicula fellis reperti sunt calculi; nec quid solutionis vel corrosionis præ se ferentis. De remediis solventibus, in hac saltem regione, medici nostrates vehementer ambigunt: Galli nequaquam. D. DURANDUS † affirmat, se nuper omnes, calculis vexatos, sibique oblatos, sanavisse. Erat ei mistura ætheris sulphurici, ex partibus tribus, olei terebinthinæ partibus duabus; cujus scrupulos duos, vel drachmam, singulis auroris icterico propinavit. Potus demulcentes simul a-

---

* Commentar. p. 258.

† Dictionnaire des Sciences Medicales, tom. xxii. p. 459.

bunde ingurgitari jussit. Hac ratione auctor est, se calculos solutos, et alvo demum dejectos vidisse, sub specie materiæ flavæ, piso haud absimilis. Nisi quidem vir clarissimus de hoc suo successu misere fallatur, summum atque ante omnia adhibendum remedium ictero invenit: attamen, nisi fallatur, nisi familiari illa vanaque medici successus hallucinatione teneatur, quomodo apud nos gentem vicinam, auxilia tam heroica prorsus inepta evadunt?

Siquando icterus a bile inspissata oriri videatur, lenis exercitatio, frictiones hydrargyri, vomitoria, cathartica, enemata stimulantia, ictus electrici per hypochondrium dextrum, optimam constituunt medicinam.

Icterum a spasmo oriundum optime curant balneum calidum, antispasmodica, præcipue opium in amplis dosibus: quibus parum sufficientibus doses antimonii ad nauseam ciendam divisæ adjectæ, summopere laudandæ.

A stercore indurato in colo icterum factum, purgantia curant. Infantum icterus sæpe sine remediis evanescit; sin minus, oleum ricini, manna, infusum sennæ, aliaque laxantia mitiora me-

conium tollunt. Quum aliis remediis opus est, vomitoria lenia danda sunt, ut guttæ pauculæ vini ipecacuanhæ, grano uno calomelanos nocte et mane, donec alvus responderit, subsequente. Hæc quidem omnibus icteri infantum formis accommodatur curatio. Infans, siquando sugere nequeat, lacte ex cochleari exhibito nutriendus erit.

Icterus gravidarum raro periculosus: remediis acribus necessario aversatur, sed lenes calomelanos doses, pilulam aloëticam, vel rhei compositam, etiam oleum ricini, bene tolerat: hisque cum amaro quodam grato conjunctis, cito cedere consuevit. Clarus ille artis obstetricæ in hac Academia Professor, vitellum ovi singulis vesperis, ne redeat malum, hauriri suadet. Si quidem icterus ex alia causa gravidæ supervenerit, discrimen quidem gravius erit. Si morbus non vehemens videatur, partus erit præstolandus: sed in morbo graviore, vitæ potius matris quam embryonis consulendum.

De simplici quidem ictero jam dictum est; aliis vero malis complicatus, adhuc dicendus restat.

Cum icterus igitur ab inflammatione hepatis, splenis, aliorumve viscerum exoritur, hæc remediis idoneis domanda est: nimirum venæsectione, topica sanguinis missione, laxantibus, vesicatoriis sedi doloris admotis. Medicamenta mercurialia talibus quoque exemplis evidenter accommodata sunt.

Signa icteri maxime molesta sunt dolor epigastrii, nausea, vomitus, constipatio, cutis pruritus. Pruritus vero non semper adest ; sed cum adest, sæpe prorsus intolerabilis fit. Opio sine quo nec nocte nec interdiu quies obtineri potest, fere compescetur.

Victus ægri ventriculo gratus, concoctu facilis, esse debet ; ex toto leviusculus. Amylum ex avena sativa aqua decoctum, in pultem, quam lac commune gustui conciliaverit, cibum optime ictero accommodatum præstabit. Potus sit aqua ex eadem avena decocta, vel ex hordeo, lactis serum, aqua mediocriter acidulata ; liquoribus omnibus fermentatis evitatis.

Post morbum sanatum, si diu persistendo hic corpus debilitaverit, amara, roborantia, qualia sunt cortex cinchonæ officinalis, acidum sulphuri-

cum dilutum, adhiberi debent. Aquæ porro Cheltenhamæ vel Bathoniæ medicinales, et curationem promovent, et vigorem corporis, curatione effecta, benigne restituunt.

FINIS.